



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 4. Sessio II. Florentinæ Synodi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.

A.C. 1439

cleensis, & Gregorius Protosyncellus, Isidorus de Russia, & Marcus Ephesinus, quorum duo priores Alexandrini, duo autem posteriores Antiocheni Patriarchæ Vicarii erant; Dositheus Monembasienfis, qui Patriarchæ Hierosolymitani vicem agebat; Bessarion Nicænus, & Dorotheus Mitylenensis. His igitur plenam conferre facultatem conferendi, & de quinque controversis Articulis transigendi cum Latinis, qui pari ratione septem nominarent Prælatos, cum Græcis in arenam descensuros. Verum Papa privatos hosce conventus minus utiles autumans, Græcis acquiescere noluit, asserens, si rem non nisi disputatione agere vellent, satius foret, ut eadem publice institueretur; sic enim nec rerum, quæ ibidem palam pertractarentur, notitia versuto quodam silentio suppressum iri, nec calumniaribus integrum fore, impune conviciari, ac si alterutra pars clandestinis artibus decerpta, & causæ, cujus defensio susciperetur, justitia turpiter violata fuisset.

## §. IV.

*Sessio II Florentinæ Synodi.*

Pontifex, cum satis perspectum haberet, quod Græci de proponendo conficiendæ concordiæ modo nihil sint solliciti, sed unice rem disputando agere vellent, ad



ad proximam feriam secundam, quæ iti-  
dem secunda mensis Martii dies erat, al-  
teram Sessionem indixit, in qua, præside  
ipsomet summo Pontifice, absente tamen  
Græcorum Imperatore inter Joannem Do-  
minicanorum Provinciale, & Marcum  
Ephesinum disputatio cæpta est de pro-  
cessione Spiritus sancti, utroque non mi-  
nori argumentorum apparatu, quam ver-  
borum asperitate differente.

Joannes Latinorum Theologus acce-  
pta ab Eugenio Papa benedictione dispu-  
tationem aggressus est ab iis, quæ ad fi-  
dem spectant, invicte stabiliendis: præpri-  
mis, quid hoc nomen: *Processio Spiritus  
sancti* significet, explanabat, & S. Diony-  
sii testimonio confirmabat; ad quæ Mar-  
cus confestim respondebat, Vocem hanc  
processionis communem esse productioni  
Filii ac Spiritus a Patre, eo quod ipse quo-  
que Filius Dei Joannis cap. 16. dixisset:  
*Exivi a Patre, nihilominus peculiariter se-  
cundum exactam Theologiæ rationem soli  
productioni sancti spiritus tribui a sacra  
Scriptura, tum a Sanctis omnibus, atque hoc  
nomine distingui productionem, qua Spiritus  
sanctus suum esse accipit, a productione Fi-  
lii, nam hæc vocatur generatio. Hæc Mar-  
ci dicta Julianus exceptit, ab illo sciscita-  
tus: Esne procedere idem ac recipere ab  
alio existentiam, sive proprietatem? Marco  
talem omnino se intelligere productionem*

Dd 5

repli-

Sæcul. XV.  
A. C. 1439.



Secul. XV.  
A. C. 1439.

replicante, acrius sequenti argumento  
stitit Joannes: *Habemus conclusionem hanc:  
Spiritus sanctum accipere esse a Patre per  
de esse, atque ab ipso procedere, dico ergo: In  
quo Spiritus sanctus accipit esse in divinis, et  
eo etiam procedit, dicitur autem Spiritus  
cipere esse a Filio, ergo Spiritus sanctus pro  
cedit a Filio, juxta propriam processionis  
significationem.* Ast Marcus Spiritum sanctum  
a Filio suam essentiam accipere negabat,  
quocirca Joannes id ipsum pluribus ac longe  
solidissimis comprobavit argumentis. Cetera,  
quæ in hac disceptatione dicta fuere, eadem  
concernebant dogmata.

## §. V.

*Sessio tertia Concilii Florentini.*

Conc. Gen.  
tom. 13. p.  
258.

Habita est quinta Martii die Jovis  
tertia, in qua Joannes ad propositam  
quæstionem rediit, atque Sacras Literas  
traditiones, Græcorum Patrum testimonia,  
& præclaras, validasque rationes et  
Theologia petitas adduxit, quibus Spiritum  
sanctum a Patre, Filioque tanquam  
ab unico principio, & per eandem pro  
ductionem suum esse accipere, tanta per  
spicuitate demonstrabat, tanque solidi  
cunctis sibi objectis occurrebat, ut Mar  
cus Ephesinus non raro obmutesceret, nec  
ingenii sui felicitas, nec expedita, atque  
ubere